Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8132
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



et eis similes, maturant et coquunt ipsum. Ut
perveniat in brevi, ad quod perveniret per paululum.
Ita omne quod existit secundum dispositionem naturalem, ex-
istit per caliditatem innatam. Et corrumpitur per superflui-
tates ingredientes super ipsum deforis. Aut per victoriam
caliditatis extranee. Aut per victoriam frigiditatis.
Quia caliditas temperata convenit omni rei. Et caliditas
superflua nocet omnibus rebus, quod non est minus
nocumento frigiditatis. Quemadmodum consumptione calidi
debilioris per calidum potens acquiritur frigus. Ita pariter
secundum vini fit dispositio acetositas. Ut que ex
ipsis debilia, citius pervenire ad statum. Que vero
fortia, longius consistere. Et postremo complementi
termino, mortem irrepere. Mori vero vina, est
ipsa acetosari. Cum (ut diximus) acetum, vinum
mortuum esse. Vinum vero, qualitercumque calidum et
humidum, ostensum est. Liquet sub inferre, e contrario
acetum frigidum et siccum existere. Et quemadmodum
vinum, superius ad sanguinis comparationem, deduximus. Et
in sanguine, presertim ad lapsum proclivi, levibus
accidentibus posse fieri. Ex continente aere
casum irreparabilem. Ita ex vasculo prius aceto
infecto. Et ex aere alterante, vinum celerius
mori, et acetosari. Quod ex fortibus vinis.
Presertim ultimo digestis. Qualicumque casu
accidere. In dies experimur

vina mori